



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Christophori de Ortega Sanclementini, E' Societate  
Iesv. Qvondam in Provincia Toletana Theologiæ  
Scholasticæ publici Professoris ... Tractatvs Dvo, De  
Trinitate, Nec non, Incarnatione**

**Ortega, Cristóbal de  
Lugduni, 1664**

Qvæst. III. De iis per quæ persona missa inuisibiliter mittatur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94251](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94251)

Patrem, qui in *mi* non potest docent Aug. 2. de Trinit. c. 12. sine his verbis: *Misus se dixerunt, quod de filio, & Spiritu Sancto dicimus, Nam Patrem missum &c.* Athanas. & Isidor. citati q. 1. cert. 3. n. 2. sine. Missio autem Patri repugnans propria est. Eodem discursu filium ad Mosem in rubo, & colloquio montis Synai *Exod. 3.* missum, quia Angelum se, id est missum, ac Deum simul proficitur apud Steph. Actor. 7. colligunt Theophylact. *ibid.*, Tertull. contr. Iudæ cap. 9. post med. text. 114. Clem. Roman. 5. constitut. Apollinar. cap. 21. ante med. Iustit. dialog. cum Triphon. sub med. apolog. 2. pro Christianis post med. Basil. 2. contr. Eunom. med. Chrysof. hom. 16. in Acta. circa morale, Euseb. 5. demonstrat. euangelic. 11. post med. & cap. 13. ad 16. Hilar. 4. de Trinit. post med. & lib. 11. verus finem.

3. Missum item Dei filium Daniel. 3. ad Pueros fornacis Babiloniæ constat: quia dicitur: *Angelus Domini descendit in fornacem*, De quo Nabuchodonotor testatur *ibi: & species quartæ similis filio Dei.* ad quæ Isidor. tom. 3. lib. 1. contra Iudæ, qui est de natiuitate Dei contra Iudæos, *Christus enim in eo, quod à Patre genitus est, filius Dei vocatur: in eo, quod sepe missus ad nuntiandum Patribus legitur, Angelus nominatur.* Ac filium tunc missum docent Tertull. contra Marcion. text. 117. contra Prax. text. 101. Aug. concion. ad Cathecum. aduersus Paganos, Iudæos, & Hæretic. cap. 14. Hyppolit. & Rupert. 6. de victoria verbi Dei cap. 12. quos recitant Pererius ad eum locum, Thyrsus de apparitionibus veter. Testam. quibus adde Ambros. 1. de fide, cap. 5. vers. fin. Quartò idem filius missus Iacob, dicitur Genes. 32. ex illis verbis: *Vidi Dominum facie ad faciem*, quia filius facies Dei est, à Clem. Roman. 5. const. Apollinar. cap. 21. ante med. Clem. Alex. 1. Pædagog. post med. Athanas. orat. 4. contr. Arrian. post init. Cyrill. Alex. 3. Ihesaur. c. 1. col. 7. & exposit. symb. Nicæni sub med. Euseb. 1. demonstrat. Euangelicar. cap. 5. post med. lib. 5. cap. 10. & 11. Basil. 2. contra Eunom. med. Theodoret. q. 91. in Genes. Iustin. dialog. cum Triph. citatur Tertull. 2. contra Marcion. (apud quem Nouatian. de Trinit. cap. 9.) & citato lib. contra Iudæ. cap. 14. Hilar. 4. de Trinit. post med. & 12. vers. fin. Cyprian. 2. aduers. Iudæ. c. 5. Ambros. in Plal. 43. col. 3. & init. ad Colos. 1. *Quis est imago Dei*, Concil. Syriacens. can. 13. aliàs 15. apud Hilar. lib. de Synod. circ. med. Leo M. epist. 13. ad pulcheriam.

4. Quintò: Dei filium missum apparuisse Agar, Angelumque dictum esse, ut missus, procedensque à Patre monstraretur docet Hilar. 4. de Trinit. post med. & 5. post init. dicens: *Volens Deus Personam paterni nominis intimare Dei filium Angelum Dei locuta est: id est nuntium Dei.* Significationem enim officij testatur in nuntio: nature autem veritatem confirmavit in nomine, cum Deum dixit. Ac generaliter, quoties apparet Deus Angelus nominatur ita ratione missionis appellari docent Iustin. citatus n. 3. Tertull. de carne Christi, c. 14. Athanas. Basil. & Cyprian. proximè Chrysof. hom. 80. in Ioann. 16. in Acta circa morale, ubi Theophylact. Euseb. 1. demonstrat. Euang. c. 5. & 25. lib. 6. cap. 10. lib. 7. c. 4. lib. 9. c. 8. Theodoret. q. 5. in exod. Beda tom. 8. lib. quæstionum q. 9. post med. imò Isidor. sentent. de summ. bon. c. 10. circa finem, solius filij missionem significari his docuit: *Vtrumque in Scripturis pro Deo Angelus ponitur, non Pater, non Spiritus S. sed pro Incarnationis dispensatione solus filius intelligitur.* Tandem: Dei filium missum apparuisse, quoties hominis specie ab Abrahamo, & veteribus Patriarchis Deus visus est, asserunt Clem. Roman. Iustin. Leo M. & Hilar. supra, August. contra Adamanti. cap. 9. Nicéph. 1. Histor. c. 2. & 3. A Christo verò nato Spiritus S. visibiliter missus est in Iordane, in Transfiguratione, in die Pentecostes, ut constat ex Euangelio, atque ad plures Sanctos postea, quos recensere Historici, non Scholastici negotij est.

5. Plura hic extra rem ab Antiquioribus, & à nostro Ruiz de his manifestationibus disputantur. Primum an rerum species, quibus personæ missæ manifestabantur rebus vacuæ, ac solum apparentes fuerint? v. g. an non vera columba, & linguæ, quibus Spiritus S. aduenit?

Scripturarij negotij quæstio. Et quidem si ex his sine, quæ ex me theologicis impressionibus efformari ab Angelicis ad speciem possunt, ut exempla adducta, solidas res non fuisse verosimiliter repetat iure Ruiz d. 109. sect. 12. n. 10. Secundum: an species illæ ministerio Angelorum fuerint elaboratæ de factò? Quæstio de Angelis est. In qua merito asserat Ruiz *ibi* cum Dionys. 4. de cœlesti Hierarch. circa med. Tertium: An species illis, vel rebus si fuerint, Personæ missæ hypostaticè fuerint vnitæ? Quæstio ad materiam de Incarnatione reducenda, in qua negatiua est omnium resolutio cum Aug. 2. de Trinit. c. 6. sub init. & lib. 4. c. 21. sub init. & post med. tract. 99. in Ioann. vbi de fide esse ait: quia Lucæ 3. Matth. 2. Marc. 1. Ioann. 1. Spiritus Dei *seu columba: & quasi columba*, dicitur descendisse. Nec res momenti tanti, si contigisset, taceretur ab Scriptura, sine cuius autoritate, non, nisi temere, asseretur, & periculosè: quare iure ab omnibus fugillatur Tertullianus asserens lib. de Carne Christi cap. 3. sine. Quartum: an tunc Persona missa fuerit secundum se ostensa, vti quæ ab iis, quibus ea specie apparebat? Quæstio ad materiam de visione. Verior, & communior est negatiua resolutio: ac si sermo sit de visione per illam corpoream speciem, certa: quia sic oculis corporeis, atque alterius ad instar videbatur. Simul autem oculis mentis secundum se visas esse Personas, neque facile ex Scriptura deducitur, neque defenditur.

6. Vltimò, & ad rem, disputari hic posset: an in quavis Eucharistice & Chrismatis consecratione, bonaque cuiuslibet sacramenti receptione missæ Personæ procedentes sensibiliter adueniant? cum sacramenta omnia sint inuisibilis gratiæ sensibilis signa. Atque de Eucharistice consecratione mihi dubium non est, quin filius missus sensibiliter adueniat: siquidem consecrantis voce sensibilis eius aduentus est. Sed tamen missio, & aduentus Christi Eucharisticus, licet sensibilis sit, non tamen apparitio dicenda est: quia ad apparitionis rationem requiritur quod sit in solita, & inopinata, atque repentina manifestatio, ut obseruat Glossa in 1. Actor. Aug. 2. de Trinit. c. 5. circa fin. cap. 6. fin. Cassian. 2. de Incarnat. sub med. in id, ad Titum: *Apparuit gratia Dei*, S. Thom. 1. p. q. 45. art. 7. ad 2. In Chrismatis verò consecratione censeo missionem non esse: quia nulla ibi Persona diuina adest, sed solum morale instrumentum gratiæ producenda ea constituitur. Neque in villa receptione Sacramenti præter Eucharistiam: quia, licet sit signum gratiæ per sacramentum sic recipienti communicatæ ac proinde missionis inuisibilis Spiritus Sancti: adest non immediate ipse Spiritus Sanctus, eiusque secundum se manifestatiuum. In receptione verò bona Eucharistice sensibilis illa intransmissio vniorem realem Personæ Christi secundum se cum communicante manifestat.



### Q V Æ S T I O III.

De iis, per quæ Persona missa inuisibiliter mittatur.



IXIMVS missionem moralem inuisibilem eis omnibus compleri, quibus specialiter modo à Persona, cui mittitur Persona missa habetur, possidereturque inuisibiliter, atque præsens assistit. Iam quænam hæc sint examinanda sunt.

CERTA

CERTAMEN I.

*Per gratiam, & Dei visionem mittitur, atque aduenit Personamissa.*

1 Est omnium conclusio. De Dei visione constat: quia per eam speciali modo adest Persona procedens in Persona Deum vidente, ad quam mittitur, quatenus visio Personæ procedentis est: sub ea enim formalitate Persona mittens non adest: ac proinde missio actiua, & passiuæ, seu discessus à mittente necessarius ad missionem considerari optimè potest: licet missam Personam mittens ipse aduentu suo comitanter associet. Vnde realis eadem visio aduentus erit respectu mittentis, non missio; respectu verò procedentis Personæ missio: quare respectu filij secundum se, & missio passiuæ erit, respectu verò eius, vt Spiritum S. producit, missio actiua. Quod si visio Dei forma sanctificans sit alia specialis Personarum procedentium assistentia in anima Beati probatur, de qua statim dixi de visione Dei missionem esse, quia eam beatitudinem dixerim: tum, quia non in visione, sed in gaudio de Deo viso formalem beatitudinem suo loco constituebam, euincēbamque: tum, quia beatitudo effectus vltimus missionis supernaturalis est potius, quam missio, quæ ad effectum alium ordinatur, in quem mittens debet habere mediatum influxum: at verò, cum beatitudo vltimus terminus missionis, imò missionum omnium supernaturalium sit, nō sic mittenti restat vltimus per missam Personam agendum media missione: quare, & ipsa beatitudo missio non erit, sed missionis effectus.

2 De gratia etiam facile, & multis probatur assistentia specialis Personæ missæ diuinæ, siue eius specialis præsentia in eo, cui per illam mittitur. Primò ex Ioann. 14. *Qui diligit me sermonem meum seruabit, & Pater meus, & aliget eum, & ad eum veniemus.* & 1. Ioann. 4. *Qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Charitas autem, & amicitia habitualis gratia, & iustitia est. Secundo: quia per gratiam donatur nobis Persona Spiritus S. à producenti principio, per quam ius vtendi, & fruendi illa, ac reliquis personis diuinis, qui comitanter adueniunt, nobis confertur; relictus nempe dominij imperfectioibus, expressit Paul. ad Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis, nempe per ipsam charitatem, quæ eius donatio, ac missio est.* Rectè enim Beda lib. 2. hom. 11. Dominicæ 1. post Ascensionem. *Cum gratia Spiritus Sancti datur hominibus mittitur Spiritus Sanctus à Patre, & Filio.* Tertio: quia omnis amans in amante est, ex omnium Philosopherum sententia: atqui gratia, & charitate à Deo amatur: ergo speciali modo Deus nobis est, atque specialiter Spiritus sancti cui gratia, & charitas appropriantur. Hinc 1. Corinth. 2. *Nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus S. habitet in vobis?* & c. 6. *An nescitis quia membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo?* 2. Corin. 6. *Vos estis templum Dei vni; sicut dicit Deus: quoniam inhabitabo in eis, & ambulabo inter eos.* Leuitici cap. 25.

3 Quarto: quia, per amicitiam eam coniunctio moralis, & affectiua amicorum, quæ adeo physicam identitatem emulatur, vt amicus alter ego dicitur. Ad quem sensum facit illud Genes. 2. num. 25. *Adherēbit uxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Quod magis ad rem nostram explicuit Paulus ad Ephes. 5. *Sacramentum, ait, hoc magnum est, ego autem dico: in Christo, & in Ecclesia, facit & illud 1. Corin. 6. Qui* R.P. Christoph. de Ortega, de Deo vno & Trino.

autem adheret Domino vnus spiritus est. Vnde aiebat Deus Zacha. 2. *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Quinto: amor præter affectiuam vniōnem ad realem tendit. Audi August. 8. de Trinit. *Amor est, quasi iunctura quedam duo aliqua copulans, vel copulare appetens, amantem scilicet, & quod amatur.* Ad quæ S. Thom. 1. 2. quæst. 28. art. 1. Corp. *Quod enim dicit copulans refertur ad vniōnem affectus, sine qua non est amor: quod verò dicit copulare intendens pertinet ad vniōnem realem.* Consonant Dionysio 4. de Diuin. Nomin. p. 1. & 2. appellanti amorem virtutem vnitiuam. Aristoteli 2. Polit. cap. 2. post med. Laudanti Aristophanem aientem *amicorum desiderium esse, vt simul conuersentur, & que* 8. Ethicor. c. 5. circa med. ait: *Nihil est tam proprium amicorum, quam vivere simul.* Hinc de se, ac reliquis Dei amicis aiebat Paul. ad Philip. 3. *Nostra conuersatio in cælis est, ac de se Deus Proverb. 8. Delitiae mee esse cum filiis hominum.* Ex quibus constat vt sanctitatis, & amicitia specialiter Deum esse in creaturis rationalibus seclusa etiam per impossibile imitationis, immensitatis, & potentia præsentia: quæ, & si de facto adfit, non obest, vt Spiritus S. cui gratia, & amor appropriantur, speciali illo modo sit præsens iustis, atque per eam missus, datusque adueniat: si cut neque puellæ obest, vt sponsus nouo modo illi detur, illiusque, ac cum illa sit, quod domi antea cum illo coniunxerit.

4 Dubitatur tamen: an gratiæ augmento mittatur denuo ad iustos Spiritus S. Quod si augmento gratiæ ad nouum statum v. g. Prophetiæ, miraculorum, affectus Martyrij, arduivè operis iustus euehatur asserunt omnes. Ita expressit Augustin. tract. 74. in Ioann. à med. *Non solum non habenti gratiam, & per illam Spiritum S. verum etiam habenti, non in cassum promittitur Spiritus S. Non habenti, vt habeatur, habenti autem, vt amplius habeatur.* & post pauca ait: *cæteris à Christo, autem ad mensuram datur, Spiritus S. & datus additur, donec vnicuique pro modo sue perfectionis propria mensura impleatur.* 4. de Trinit. prope med. ait: *filium tunc vnicuique mitti, cum à quoquam cognoscitur, atque percipitur, quantum cognoscit, & percipi potest pro captu proficentis in Deum, vel perfecte in Deo anime rationalis.* Deinde: Apo. polis Spiritus sanctus promittitur Ioann. 14. & 15. atque iterum: *Si autem abiero mittam eum ad vos, & Actor. 1. Accipietis virtutem superuenientis. Spiritus Sancti in vos.* Tertio: Melchiad. Pap. epist. ad certos quosdam, & ad omnes Episc. Hispaniæ relictus c. Spiritus S. 2. de consecrat. 5. ad id: *In diebus istis, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem.* Iohel. 2. *Aduertam, inquit, summas diuitias bonitatis Dei, quod in confirmandis Neophytis manus impositio vnicuique singulis, hoc tunc Spiritus sancti descensio donauit vniuersis.* Ac infra de augmento gratiæ, & confirmatione Apo. stolis facta. *Quid Apostolis presuerit aduentus Spiritus sancti, ipse Dominus eis euidenter exponit. Quæ dico vobis, inquit, non potestis portare modo: cum autem venerit ille Spiritus veritatis, ipse docebit vos omnem veritatem. Vides, quod cum Spiritus Sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam, & constantiam dilatatur.* Innocent. Pa. epist. ad Decentium Episc. c. 3. relictus c. Præbyteris, 119. de consecrat. diff. 4. ait: *fontem ex eodem oleo consecrata signare, in baptizatorum confirmatione solis debetur Episcopis, cum tradunt Spiritum Paraclætum.* Consonat Rabanus 1. de instruit. Clericor. cap. 30. relictus cap. Nouissimè 5. de consecrat. d. 5. dicens: *Nouissimè à summo Sacerdote per impositionem manus Paraclæti, traditur baptizato, vt roboretur per Spiritum Sanctum.* Denique Bernard. ferm. 3. de Pentecost. circa fin. ait: *dari, & infundi Spiritum Sanctum ad auxilium, cum in omni colluctatione adiuvat infirmitatem nostram: ad feruorem, cum in cordibus perfectorum validum ignem charitatis accendit. Quæ tribus penultimis testimoniis responderi poterant argumentis pro sequenti resolutione instruendis præcludentur.*

5 Maior est difficultas: an quodvis gratiæ augmentum secundum se sit noua missio, & aduentus Spiritus S. H h Negat

N gat propriè loquendo Alex. r. p. q. 44. m. 4. art. 3. S. Thom. q. 43. art. 6. ad 2. vbi Caiet. Canar. & Vazq. & in 1. d. 15. q. 5. art. 1. post med. S. Bonau. p. 2. art. 1. q. 3. Ruiz d. 109. lect. 4. Gasp. Hurt. d. 10. dif. 4. §. Bonauentura, Verum affirmo cum Magistro in 1. d. 17. Ricard. d. 15. art. 5. q. 2. ad 2. Durand. q. 4. fin. Cathuf. q. 3. circa fin. Corduba 1. quaestio. r. q. 41. Soar. 12. de Trinit. c. 5. §. 18. Probatur ex locis August. & Bedæ super recitatis, quæ ad Spiritum sancti, ac filij aduentum solum gratiæ augmentum requirunt, fit & Bernard. proximè. Accedit Melchiasdes; qui aduentum Spiritus Sancti ad baptizatos explicans post primum locum ait: *In confirmatione augmentum præstat ad gratiam.* Ratio est: quia quouis gradus gratiæ Deum explicitis modis præsentem animæ facit, & amicum de se se: ergo id præstabit gradus augmenti, nisi rationem essentialem gratiæ deponat, quam sine contradictione nequit exuere: Secundò, cum gratia, & amicitia de se sit vniò modis dictis, maiori gratia intimior, arctiorque necessario erit, quam sine illo. Tertio: cum gratia augetur ratione donorum, & gratia datarum gratiarum dicitur Spiritus S. mitti, & aduenire: ergo citius perfectiori illa coniunctione, quam affert augmentum gratiæ. Dices missionem, & aduentum absolutè, & propriè talem prærequirere negationem præsentia eiusdem ordinis, & rationis saltem: vt patet in locali missione, & aduentu, cuius ad instar missio diuinarum Personarum, ea ùmque aduentus est. Sed contra: quia quoties nouus modus est præsentia, ac perfectior, & intimior, ac penetrator, vt sic loquar, satis est ad aduentum proprium, & absolutum, qui nequit esse in præsentia locali adæquatè penetrationis, ac proinde deficit in ea exemplum. Potest autem esse in vnione affectiua, imò & reali vnione amicorum, si magis amici, & gratiores sibi sint.

6 Subtilius inquires: an ex hypothesi, quod sola extrinseca Dei voluntate remittendi, & condonandi peccatum, atque acceptandi peccatorem ad amicitiam, & peccatum remitteretur, & homo Deo gratus, & amicus esset, per eam peccati condonationem, & acceptationem ad amicitiam, seu ad amorem diuinum, sine gratiæ infusione Persona diuina procedens, v. g. Spiritus S. absolutè mitteretur, atque in hominem aduenteret? Negat Capreol. in 1. d. 14. art. vlt. ad argum. Gregor. contra 4. conclusionem, Molina 1. p. quaest. 43. art. 3. fin. Soar. 12. de Trinit. c. 5. n. 3. & 4. Ruiz d. 109. lect. 7. n. 10. Becanus cap. 9. quaest. 6. Lúiz. Torres d. 30. dub. 5. Martin Perez. d. 19. lect. 7. Ego verò data hypothesi, (quam falsam reor) affirmo cum Gabriele in 1. d. 14. q. vnic. art. 3. dub. 3. Gregor. art. 1. concl. 3. art. 2. ad 2. OKamo q. 2. ad 1. & Gasp. Hurtado d. 10. dif. 4. §. Capreol. sine: quia tunc modis omnibus specialibus enumeraris num. 2. & 3. esset in homine non secus, ac per gratiam esse de facto docuimus. Aduersariorum fundamenta sunt leuia. Primum, quod missio tunc esset in creata, & æterna, sicut, & voluntas condonans, & acceptans. Sed quid est absurdum? Instat Ruiz tunc non fore Deum in homine, sicut amatum in amante, & cognitum in cognoscente. Quid etiam inde? Vt Persona mittatur, adueniatque ad aliquem satis est, vt Persona missa sic in eo, quod potius sit amore, quem ipsa erga hominem à se amatum habet, quam, quo homo ipsam prosequitur. Sed dices: ergo deferimus conclusionem de constitutione missionis per donum creatum. Nego consequentiam: quia hypothesim iudico falsam: quare non desero, sed desererem; si veram putarem.

## CERTAMEN II.

*An Fide, Spe, aliisque Gratiis gratis datis, aliisque naturalibus donis Persona diuina absolute ad Personam creatam mittatur, & adueniat?*

1 **G**Ratiæ gratis datæ sunt Prophetia, genera linguarum, potestas miraculorum, gratia curationum, & similia De quibus vt gratiæ coniunctis, conueniunt omnes sufficientes ad missionem, & aduentum Personæ diuinæ absolute esse, vt vidimus Cert. 1. n. 4. Quod satis euincunt testimonia ibi recitata. Præsertim, quæ de aduentu Spiritus S. in confirmatione baptizatorum, & Apostolorum sunt. Secundò idem probabunt, quæ dabimus pro conclusione sequenti. Tertio illustre ad rem istam est testimonium Bedæ in c. 1. Ioan. relatum c. quaerendum, 6. de penit. d. 1. vbi ait à sanctis viris ad tempus recedere Spiritum S. ad tempus manere. *Recedit autem ad tempus: ne semper infirmos curandi, mortuos suscitandi, Diaboles eiciendi, vel etiam prophetandi habeant facultatem. Manet semper: vt possint habere virtutes, & vt mirabiles, ipsi uiuant. Venit ad tempus: vt etiam aliis per miraculorum signa, quales sint, intus, effulgeant.* Quartò: cum potestas absoluendi data Apostollis est Ioann. 20. dicebat eis Dominus: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata &c.* & quidem in hac conclusione conueniunt omnes, vt dixi.

2 An verò Fide, Spe, Gratiisque gratis datis, secundum se, ac sine gratia missio, & aduentus Personarum absolute simpliciterque sit, nec solùm secundum quid: quatenus iustificationem inchoant, & disponunt? Quæstio est difficilis. Negat Mag. in 1. d. 15. c. ad quod dicitur, d. 17. c. Tunc enim S. Bonau. d. 14. art. 2. q. 1. d. 15. p. 2. art. 1. q. 1. Ricardus art. 4. quaest. 2. & art. 5. q. 2. Cathuf. q. 3. Capreol. quaest. 1. art. 3. concl. 2. & 3. Marfil. in 1. q. 17. art. 1. post med. Dur. d. 14. q. 3. à num. 4. Argent. q. vnic. art. 4. concl. 2. OKamo. q. 2. post med. vbi Gabr. art. 2. fin. & art. 3. Alex. 1. p. quaest. 73. m. 4. art. 2. Albert. q. 33. in vnic. ad particulam 2. & 3. Thom. q. 8. art. 3. q. 43. art. 3. ad 4. vbi Canar. Vazq. Caiet. Molin. explicatione, 1. concl. circa fin. Soar. 12. de Trinit. cap. 5. §. 7. Ruiz d. 109. lect. 1. num. 19. Maratus d. 56. Grand. tract. 15. d. 3. Martin. Perez d. 19. lect. 8. Gasp. Hurtado d. 10. dif. 4. §. Sanctus Thomas, dicendum tamen: est per ea omnia, & singula, absolute simpliciter, & propriè mitti, & aduenire Personas diuinas ad creaturas. Ita expressè Aureol. in 1. d. 15. art. 2. atque de fide speciatim Caiet. proximè §. ad secundam verò, quare, & de reliquis eodem modo videtur dicturus. Probatur ex verbis Aug. 4. de Trinit. cap. 20. circa med. recitatis cert. 1. num. 4. vbi mitti, & aduenire filium docet ad eum, à quo cognoscitur, quantum potest pro captu proficientis in Deum, vel perfecti. *Alit fide, informi etiam, pro captu proficientis in Deum cognoscitur: ergo ad fidelem informem mittitur, & aduenit filius.* Clarius infra. *Missus dicitur filius, vel 20, quod ex tempore cuiusque mente percipitur: sicut dictum est: mitte illum, vt cum sit.* Sap. 9. Secundò probatur de fide etiam informi: quia per eam membra Christi, & Dei reddimur, Deusque, ac Christus nostrum est caput: quare speciallem cum illis vnionem, atque vnitatem nobis affert. Vnde Apostolus meretricibus, & fornicantibus fidelibus exprobat, quod sua membra, quæ Christi sunt, sacrilega monstrositate membra meretricis efficiant. Deinde specialiori prouidentia supernaturali fidelibus peccatoribus adest, vt rector, curatorque prouidus, etiam iniquorum pupillorum: specialis autem hæc vnitas, seu vnio cum Christo, & Deo capite, huiusque tanquam prouidi Receptoris, & curatoris præsentia satis est dei

per Ruiz d. 109. sect. 3. ad proprium simpliciter aduentum missionis: ergo per fidem, etiam informem, diuinæ Personæ mittuntur, veniuntque proprie, & simpliciter ad creatas. Denique Bernard. recitatur cert. 1. n. 4. sine expressè docet mitti Spiritum S. cum in omni collatione adiunat infirmitatem nostram: quod in fidei veritatibus in primis præstat.

3 De gratis verò datis gratis probatur: quia eis est Deus specialiter, etiam in peccatore, tanquam in templo, vt colatur, & adoretur. Celebris ad hanc rem est illud 1. Corinth. 4. post med. Si autem omnes prophetent, inuenient autem quis infidelis, vel idiota, conuincitur ab omnibus, diiudicatur ab omnibus, occulta cordis eius manifesta sunt: & ius cadens in faciem, adorans Deum, pronuntians: quod verè Deus in vobis sit. Secundò: quia dum Pontifex potestatem absoluedi, peccatoribus etiam, Sacerdotibus confert, ait ex Ioann. 20. Accipite Spiritum Sanctum, etque verè illum instrumentaliter confert. Tertio: cum prophetiæ donum Sauli iniquo collatum est, Regum 19. circa fin. dicitur: Factus est etiam super eum Spiritus Domini, & ambulabat ingrediens, & prophetauit. Ac de Sansone post illicitum matrimonium, & fornicationem, cum alienigena dicitur, Iudicum 14: 15. & 16. Irruit in illum Spiritus Domini, nec restitit ab eo quousque tonderetur. nempe per miraculosam fortitudinem inditam. Quarto probatur ex Beda verbis, datis num. 1. ait enim à iustis recedere Spiritum Sanctum cum eis potestatem curandi infirmos, & edendi miracula subtrahit; ac rursus venire ad eos, cum eam illis restituit: ergo præter specialem præsentiam, & aduentum Personæ diuinæ per gratiam, est alia præsentia, & aduentus eius, per gratias gratis datas, per quarum defectum Spiritus S. recedat perseverantem præsentia gratiæ, ac denuò adueniat cum illa restituantur, licet eius præsentia per gratiam præxiterit. Dices intelligi hæc omnia de aduentu secundum quid. Contra primò: quia quod absolute ab scriptura, & Patribus tale dicitur, nequit esse solum secundum quid tale, nisi improprè fatemur esse locutos: sicut, qui diceret absolute Ætyopem album: quod nisi expresso testimonio scripturæ, veleuidenti rationi Theologicæ aduersetur (non autem hic aduersatur) nefas est dicere. Secundò: quidnam intelligis per aduentum secundum quid? quod non sit perfectissimum? sic dicit equum esse animal secundum quod, quia non est animal perfectissimum. Tertio: per vos augmentum gratiæ non est missio, siue aduentus simpliciter, sed secundum quid, atque si hæc dona adiungantur est tunc aduentus simpliciter: ergo quia hæc dona sunt aduentus simpliciter, nec solum secundum quid Patet: quia ex coniuncto duorum secundum quid talium non resultat vnum absolute tale, v. g. ex duplici Ætyope secundum quid albo, non resultat vnum absolute album. Confirmatur: quia modus præsentia nouus, & qui præsupponat carentiam præsentia eiusdem ordinis, necessariam ad rationem aduentus per vos, in solis donis, non in augmento gratiæ est: ergo si in eo casu est aduentus simpliciter, in solis donis hæc est.

4 Oppositiones, licet leues recenseo. Prima quia Sap. 1. dicitur: In maleuolam animam non introibit sapientia, neque habitabit in corpore subdito peccatis. & rursus, Spiritus enim Domini discipline effugiet distium. & Proverb. 15. longè est Dominus ab impijs. Eccles. 15. longè abest à superbia, & dolo. Hierom. 17. Recedentes à se in terram scribentur. Sed hæc solum recessum, & non habitationem, fugamque secundum specialem modum, licet nobilissimum, amicitia asserunt, non autem secundum omnem alium, vt patet. Secunda ex Aug. 15. de Trinit. c. 18. in. aiente dona re qua sine charitate nihil prodesse iuxta illud 1. Cor. 13. & ad Galat. 5. Nec Spiritum S. dici donum, nisi propter dilectionem. Sed hæc extrà rem sunt: extremum solum assignat rationem cur Spiritus S. donum personaliter sit, vt vidimus d. 10. non autem, quod per alia dona præter charitatem non donetur. Quod autem sine charitate nihil

R. P. Christoph. de Ortega, de Deo vno & Trino.

profiunt ad salutem animæ æternam, non obest, quominus dona sint, & per quæ speciali modo Deus in animâ sit. Tertia: Per hæc dona non est Deus, sicut cognitum in cognoscente, & amatum in amante. Quid inde? si est aliis modis enumeratis: Quarta: per hæc dona non est donatio, neque inhabitatio propria Dei: ergo neque aduentus, qui sine propria inhabitatio esse nequit, neque missio, quæ nequit esse sine propria donatione. Antecedens probatur: quia per hæc dona nequit homo frui, & vt idèd tanquam re sibi propria, neque redditor Dei templum: ergo in eis non est donatio, aut inhabitatio propria. Distinguo antecedens primò: non est donatio, & inhabitatio propria, id est perfectissima factor, & probat antecedentis probatio; propria, vt opponitur impropræ, nego antecedent. De inhabitatio ne constat ex Paulo, vbi per prophetiam cognofci, & adorari Deum in nobis ait. De donatione Dei, tanquam Rectoris prouidi, & curatoris, qui per hosce proprie pupillo, & subdito donatur, constat etiam ex dictis.

5 Dico tertio: per dona etiam naturalia mittuntur, adueniuntque simpliciter Personæ diuinæ ad creaturas sui aduentus capaces, de quibus dicemus q. 4. Non sentio cum pluribus, sed cum Aureolo in 1. d. 15. art. 2. sine Durando 13. q. 3. n. 4. qui, licet hanc missionem, & aduentum imperfectos appellent, aliud tamen est improprietas, aliud imperfectio, vt patet. Est insuper expressa sententia Albiz d. 14. sect. vlt. & licet de hac missione exigua sit apud Patres, & Scholasticos mentio, qui de altiori per dona supernaturalia curant; tamen videtur sententia Bernardi loco recitato cert. 1. n. 4. sine dicens: mitti Personas ad auxilium cum in quavis collatione nostram adiunat infirmitatem, id quod auxiliis ordinis naturalis frequenter præstant, quin eodem serm. 3. de Pentecoste circa fin. etiam in naturalis ordinis prouidentia, nec solum in supernaturalis ordinis gratia, per dona naturalia mitti, atque aduenire Spiritum S. docet aiens: Spiritum sanctum hominibus inspirari, ad usum quidem vitæ, bonis, & malis, dignis pariter, & indignis communia bonâ abundantissimè tribuentem. Consonat illud Genes. 2. n. 7. Et inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem. Quod de Spiritu sancti immissione plures explicant Patres. Ratione probatur: quia per naturalia dona præsens fit Deus, ac tota Trinitas per effectum: tum, quia eius aliqualis imitatio essentialiter est creatura per potentiam, & operationem, cum à Deo eiusque omnipotentia & concursu pendeat: ac per immitentem. Insuper, cum naturalia hæc dona creaturis impertitur, adest vt Rector, procurator, ac dominus creaturarum. Nec referam præsentem eisdem titulis esse creaturæ, cui ea donat. Etenim replicata præsentia, etiam ordinis eiusdem, mitti, aduenireque simpliciter, & absolute denuò potest Deus, vt de augmento gratiæ docebamur Certamine 1.

6 Obicies: quæ naturalis ordinis, & prouidentia sunt causis naturalibus deberi: quare neque esse dona. Respondeo primò plura naturalia dari posse à Deo creaturis, quæ non debebantur illis iure naturæ. Secundò debitum hoc naturale non est iuris exactiui, quod donationi simpliciter tali obest, sed indigentia, & precum seu rogationis. Instabis primò: ergo cum Deus aliquid creatum in Dæmonibus operatur mittetur ad ea Persona diuina. Respondetur in eis præcipue operari Deum supplicia: ad quæ, non secus atque ad Sodomorum pœnas mitti Personæ diuinæ possunt, mittunturque, vt vitam maioribus tormentis superstitem æternum illis seruent. Instas secundò, & difficilior: cum Deus concurrat ad actum peccaminolum mittuntur ad id ad peccatorem. Nego tamen facile consequentiam: tum quia nemo mittit nisi volens aliquem ad aliquid: nulla autem Persona diuina vult actum peccati. Secundò: quia missus semper recipit determinationem à mittente ad id peragendum, ad quod mittitur: aut ad actum humanum præcipue ad peccaminolum indifferenter potentiam, & concursum offerunt

Rh 2 offerunt

offerunt Personæ diuinæ: totaque determinatio creaturæ peccantis est. Imò idèd peccat, quia eius tota est determinatio: quare neque Persona produciens mittit, neque procedens mittitur ad actum peccaminosum peragendum.

### CERTAMEN III.

*De iis, ad quos facta est inuisibilis missio.*

1. **A**D quosnam inuisibilis, moralis missio per dona creata naturalia facta faciendaque sit, opus non est recensere. Constat enim factâ, faciendamque esse ad omnes aduentus Personarum capaces creaturas: quare de eis quibus per dona supernaturalia Personæ diuinæ missæ de facto fuerint, atque aduentauerint statuumdum hic erit: sicut q. 2. cert. 2. de eis, quibus visibiliter aduentauerint statuumdum est. Dico primò factam fuisse ad Christum Dominum in primo conceptionis instanti, sequor Alex. 1. p. q. 73. m. 3. art. 3. ad 2. S. Thom. q. 43. art. 6. ad 3. art. 7. ad 6. vbi Caiet. Canar. & reliqui interpretes, S. Bonau. in 1. d. 16. art. primo, q. 1. fine, S. Thom. iterum art. 3. & d. 15. q. 5. art. 1. Carthuf. q. 4. Durand. ibidem §. ultimo, Ricard. art. 5. q. 1. ad 2. Ruiz d. 109. lect. 5. n. 4. Probatur primò ex Ioann. 7. vbi Christus de se: *quem enim misit Deus, verba Dei loquitur. Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum.* Ergo Christo Domino datus est à Deo Spiritus procedens, ac proinde missus ad eum est. Secundo: quia visibilis missio ad aliquem facta, vt ipsi fides adhibeatur, signum est missionis inuisibilis ad eum factæ: atqui Spiritus S. missus visibiliter fuit ad Christum in Iordane, & in transfiguratione, vt ei auctoritatem, & fidem conciliaret: ergo signum, & testimonium fuit missionis inuisibilis factæ ad eundem. Tertio à priori: quia in ipso conceptionis instanti dona omnia, & gratiæ supernaturales, quibus Spiritus S. mittitur, & aduenit, datæ Christo Domino sunt: ergo, & ad eum missus Spiritus sanctus aduenit.

2. Dices ergo verbum, & sibi Spiritum misit, & ad se cum Spiritu Sancto venit: quandoquidem donis gratiæ omnes Personæ aduentant. Vtrumque autem implicat: vt patet. Respondeo missionem Spiritus S. ad humanitatem cui dona, & gratiæ collatæ sunt physicè fuisse factam, sicut & aduentum. Quod si per idiomatum communicationem mitti Spiritum S. ad Verbum ab ipso verbo, quemadmodum à se ipso creari per idiomatum communicationem dicere velis, atque eodem modo ad se aduentare, non est maius in vna, atque in aliis propositionibus absurdum. Dices secundo: Dona gratiæ hæc in primo instanti conceptionis humanitas cum carentia præsentia. Spiritus Sancti per illa Dona: ergo neque aduenit per illa ad Christi humanitatem. Patet: quia aduentus Personæ missæ dicit carentiam præsuppositam præsentia aduentantis in eo, ad quem mittitur, & aduenit. Respondetur non requiri præexistentiam carentia illius præsentia tempore, sed natura, quam humanitas ad receptionem eiusmodi donorum præsupposita dubio procul habuit. Postea verò nulla facta fuit missio Spiritus S. nullisque fuit eius ad humanitatem Christi factus aduentus per dona supernaturalia: quia nullum in eis successu temporis recepit augmentum, vt communis Theologorum sententia fert.

3. Dico secundo: ad B. Virginem, & Angelos, ac Protoperentes nostros in instanti creationis, & conceptionis vniuersulque Personæ diuinæ missæ fuerunt, & aduenturunt. De B. Virgine luadet veritas ferè dogmatica de immaculata ipsius conceptione in gratia, & iustitia originali. De Angelis verò, ac Protoperentibus veritas dogmatica de eorum creatione in gratia. Atque his quidem, cæterisque iustis mitti eum

gratia, cæteraque dona vel inducuntur, vel augmentur constat ex dictis. Aud. Cyril. tom. 5. lib. 5. in Iſai, ad id cap. 16. *Spiritus Domini super me*, dicentem: *cumque ex se procedentem Spiritum immittat superis potestatis.* Aug. 4. de Trinit. cap. 20. longè ab init. aientem: *Aliter mittitur sapientia increata genita, vt sit cum homine, aliter, missa est, vt ipsa sit homo. In animas enim sanctas se transferi, atque amicos Dei, & Prophetas constituere, sicut etiam implet sanctos Angelos. Cæterum de iustis veteris, imò, & noui testamenti ante Christi ascensionem, & clarificationem oppositum dici viderur Ioann. 7. Spiritus nondum erat datus, quia Iesus nondum erat clarificatus. atque Act. 8. Nondum enim in quemquam illorum venerat. Spiritus S. ergo ante Pentecostem, nec missus fuerat in iustos veteris, aut noui Testamenti contra ea, quæ docuimus.*

4. Incidit in hanc difficultatem Aug. 4. de Trinit. vers. fin. ac respondit negari missionem, & aduentum non omnem. *Quia (inquit) certa illa Spiritus S. datio, vel missio, post clarificationem Christi futura erat. Neque enim antea, nulla erat; sed talis non fuerat. Si enim antea Spiritus S. non datur quo impleti Prophetæ locuti sunt. Adducitque in exemplum Baptistam, & Zachariam, qui Lucæ 1. Spiritu S. repleti prophetae dicuntur: ac Simeonem, in quo Spiritus S. fuisse dicitur Lucæ 2. Consonat sibi tract. 32. in Ioann. itaque, talis, qualis fuit in die Pentecostes, missio, & aduentus Spiritus S. antea negatur, non autem omnis eius missio, & aduentus. Audi Leonem M. ferm. 2. de Pentecost. c. 3. post med. *Cum discipulos Domini Spiritus S. impleuit non fuit inchoatio muneris, sed extensio largitatis, quoniam, & Patriarchæ, & Prophetæ, &c. Cui acciunt Chrylost. Cyrill. Alex. Theophylact. & Beda iam citandi. Fuit autem illius ad alios missionibus Spiritus S. ad iustos differentia. Prima: in abundantia intensiue, & extensiue maiori obseruata à Leone, prædicta à Iohelle cap. 2. *In diebus illis effundam de Spiritu meo super omnem carnem.* ac 7. Ioann. vbi ad Iohelis testimonium alludens clamabat Iesus: *Qui credit in me flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* commentante Ioanne: *Hoc autem dicebat de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum.* Expressa insuper Act. 2. vbi Iohelis testimonium recitatur. Secunda: differentia in maiori extensione ad opera gratiæ gratis datæ. Tertia in insolito visibili aduentu. Quas omnes obseruauerunt Aug. supra, Chrylost. hom. 20. in Ioann. Cyrill. 5. in Ioann. c. 10. post med. Theophylact. & Beda ad locum Ioann. supra, vbi S. Thom. lect. 7. & in 1. d. 15. q. 5. art. 2. S. Bonau. p. 2. dub. 3. litterali ex quibus Scholastici reliqui.**

### QVÆSTIO IV.

*De terminis missionis diuinarum Personarum.*



**M** ISSIONEM in physicam, & moralem diuissimus, quibus terminus à quo, diuissus non est in re præsentis, sed idem. Est enim Persona diuina quæuis produciens terminus à quo produciens. Idem etiam vtrique est terminus qui mittitur, nempe quæuis Persona procedens: quare in his quæstio est vtrique communis. Insuper terminus ad quid siue ad quod, missionis est effectus ea missione intentus: qui etiam in vtraque missione inuenitur. In morali verò missione est terminus vterior, qui in physica non est: nempe terminus cui, vel ad quem, Persona mittitur. Et de termino ad quod vel ad quid missionis nihil restat dicendum: cum id omne sit quod à Deo intendi, efficique potest. De aliis verò tribus, nempe termino à quo missionis, siue de mittente: de termino qui, siue Persona missa: de termino ad quem, siue cui mittitur quæstio erit